Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1759
Quelle:
Copyright:

Fol. 108. p. 2. *Incipiunt consuetudines domni Guigonis prioris carthusie* 80. Capitibus, quae in edit. *Basil.* ipsas *Constitutiones antiquas* antecedunt. Additae sunt 37. *priuate consuetudines sicut habentur in domo nostra Carthusie, quas bene decet esse in qualibet alia domo ordinis* &c. In his occurrunt *Capelluli* pro Pileolis, *Sconsa* pro Laterna absconsa seu coeca, *Galylea* (Gallerie) pro Porticu.

Fol. 127. p. 2. *Incipiunt nove Constitutiones* pariter tripartitae, prout habentur post *antiquas* in edit. *Basil.* Additur ad calcem Decretum contra *Priorum ordinis nostri euagaciones nimias et discursus, eorumque vestes et equitaturas curiosas et plus debito preciosas*, quod in edit. *cit.* non reperi.

Fol. 151. calamo paullo recentiore praevia observatione historica de magnis Prioribus Ordinis, et Prologo succedit *Tercia compilacio statutorum ordinis cartusien.* quae et in edit. *Basil.* succedit.

In folio Codici praefixo tria manu Sec. XVI. exarata sunt: 1) Fides *Antonii* (*Ciochii*) Cardinalis S. *Praxedis*, et (quod nesciit *Ciaconius*) Ordinis Carthus. Protectoris: *Leonem* X. ad suas, *Francisci de Puteo* Prioris Generalis, aliorumque Ordinis Priorum preces dedisse veniam B. *Brunonis, quamvis non reperiatur aliter canonizatus solennitus per summos Pontifices suæ Sanctitatis predecessores, ut moris est, Festum sub sexta Octobris die in ipsius duntaxat ordinis domibus, et earum ecclesijs seu capellis solenniter colendi et deuotione debita celebrandi, prefatique Brunonis corpus et memoriam dignis in Domino laudibus prosequendi et venerandi, Officiumque conveniens in honore ipsius beati confessoris agendi et decantandi, nec non commemorationem singulis diebus faciendi ex tunc et de cetero in perpetuum.* Data *Rome in palatio apostolico Die decima nona mensis Julij Millesimo quingentesimo Quartodecimo. Leonis* II. 2) *Ordinacio Capituli generalis Carthusie celebrati* A. 1515. 7. *Maji* et seq. Conformiter ad praedicta traditur ratio cultus S. *Brunonis* per universum ordinem, praescribitur Officium chori et missae, jubeturque *Bruno* in Litaniis invocari *immediate post S. Benedictum.* 3) *Sequitur Modus se habendi religiose tempore Schismatis.* Hic *modus* in calce dicitur *missus ad priores ordinis per Reuerendum patrem Cartusie* (Franciscum de Puteo) *Anno domini* 1512. Experti videlicet jam erant boni Viri incommoda, dum in Schismate *Gregorii* XII. et *Benedicti* XIII. pars eorum una *Bonifacium Ferrerii* fratrem S. *Vincentii* Priorem magnae Carthusiae, altera *Stephanum* Priorem in *Seytz Styriae* sequeretur. Ideo monentur hic, ut ingruente rursus ejusmodi calamitate in simplicitate Deo deserviant, studio partium vacui judicium Ecclesiae permittant, et nexum perpetuum cum matre Carthusia conservare conentur.